

1978

N

12  
(121)







N U P T I I S  
 AUSPICATISSIMIS  
**FREIESLEBIO-**  
**GOETZIANIS,**  
 LIPSIAE  
 V. CALEND. JUN.  
 MDCCXXV.  
 CELEBRATIS,  
 EX ANIMO GRATULABUNDUS

ALTENBURGI,  
 LITERIS JO. LUDOVICI RICHTERI, TYPOGR. AUL.

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



Kapitel 78N 12 [121]

AK





*Kαὶ τὸ ὄχιον.*

Heu quantum solitudinis malum!

Solitudo quæ tristia suadet!

Est sine otio otium.

Commendet Seneca & fugam unius

amet Antisthenes colloqui secum

ratum Antonius ducat:

quod piscis in arido, in oppido monachus:

haud bona, solitaria vita.

Amantem quis redamet?

Cadentem quis erigat?

Tristi quis ferat solamina?

Ægrotum quis curet?

deficit alter.

Vir effugit malum & viduus!

Heu! quæ videt viduus mala!

Relictis ex conjuge liberis,

quos moribus quondam probatis, orbatus jam

videt privatos;

de optimo genere nunc degeneres mirum,

& cuncta quondam amœna jam mœnia

videntur destructa.

Necessaria defunt,

abundat superfluis,

& omnia ruunt.

Quæ vir quæso sine viragine!

& diris & duris expositus est.

Et virgo & vidua quæ mala!

Sufanna non omnis Sufanna.

Sint Diodoro quinque filia virgines semper;

Bona Dea Romanis;

Pythagoræ Dama:

non omnibus apis insigne,  
nec Smaragdi viriditas,

*Ἐπεὶ ἀμείνω*

Sponsus & Sponfa.

Jo! quantum sponsus invenit bonum!

Jo! bonum sponfa invenit quantum!

Omnia vincit amor: quid enim non vinceret ille?

Vel ferrum ejus vincitur igne.

Sive quis Samfōne fortior;

sive Davide sanctior;

sive Salomone sapientior:

omnia vincit amor.

Ecquid quæso est amor?

Corpore non est albus, sed igni similis,

oculi ipsi sunt acres & flammæ, mala mens, dulcis sermo;

non idem sentit ac loquitur, vox instar mellis;

si vero irascitur, animus ferus est, ac dolosus,

nihil veri dicens, fallax puer, crudeliter ludit.

Pulchre capillatum est ei caput, habet autem protervam faciem,

exiguæ quidem illi sunt manus, sed procul jaculatur;

jaculatur usque ad Acherontem, & inferorum Regem;

corpore quidem nudus, at mens illi tecta est.

Et alatus est, sicut avis ad alium atque alium volat,

ad viros & fœminas; in visceribus hæret.

Quid? petit, dum petitur, ac inscius tegi;

quo magis tegitur, magis æstuat ignis.

Eho! quis datur ad amoris accedere templum!

jucundum malorum sponsi sponsæque ludum!

Sic extinguitur flamma.

Sed sæpe Mopso Nisâ formosâ;

heroica Semiramis Nino;

Socrati morosâ Xanthippe;

Helena liberalis Menelao?

Hic Helena, hic salta.

Non cuncta tamen tam fatuo fato.

Cassandra jungitur Cyro;

Mausolo Artemisia;

Julia Pompejo.

Felicem terque quaterque, quæ viro nupsit prudenti!  
cælum in terra, virtutibus dotata in auxilium data,  
ut tam sola, casta, prompta, pia, vigil, devota,  
instar turturis, columbæ, aquilæ, ciconiæ, gruis, alaudæ.  
Talem qui invenit, invenit bonum.

Excellentissime Sponse!

Sponsa incomparabilibus ornata virtutibus!

Vos effugistis malum, & invenistis melius.

Evax! bonum, Patrone, quantum!

Totus Tecum gaudet ager Pleissenus;

& rosæ, & tiliæ gaudent.

En! mutuum earundem amorem:  
participes luctuum, gaudiorum participes.

Invenisti, quam non reperiisses;

quæ Te nunquam offendet, offendet

devotam, vigilem, piam, promptam, castam, solam,

quæ Te & amore, & more, & ore, & re amplectetur,

Incomparabilem Sponsam!

deliciæ Sponsi, Sponsi columba,

quantum invenis bonum!

Tibi jungitur Sponsus, quo non melior ullus.

Testes vos cito virtutes, sed manum de tabula cito,

ne videar cum laudare, qui mirari meretur.

Queis discere integrum, discant!

Si qua voles apte nubere, nube pari.

At, quæ & effugistis sic mala!

Nunc omnia absunt, quæ potuissent adesse.

O Vos felices!

Felices ter & amplius,

quos irrupta tenet copula: nec malis

divulsus querimoniis

suprema citius solvet amor die!

---

M. Jo. Dav. Eschwend, Gymn. Frideric. Sub-Con-R.

Kapsel

78 N 12

[121]

X 2316349







N U P T I I S  
AUSPICATISSIMIS  
**FREIESLEBIO-  
GOETZIANIS,**

LIPSIAE  
V. CALEND. JUN.  
MDC CXXV.  
CELEBRATIS,  
EX ANIMO GRATULABUNDUS

ALTENEBurgi,  
LITERIS JO. LUDOVICI RICHTERI, TYPOGR. AUL.

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



Kapsel 78N 12 [121]

Ak

